

pars congressi , quidam eminus proturbant. Carioualda diu sustentata hostium sauitia, hortatus suos ut ingruentes cateruas globo frangerent, atque ipse in densissimos intrumpens , congressis telis, & suffoso equo labitur, ac multi nobilium circa : cæteros vis sua, aut equites cum Stertiniu , Æmilioque subuenientes periculo exemere. Cæsar transgressus Visurgim , <sup>a</sup> indicio perfugæ cognoscit delectum ab Arminio locum pugnæ, conuenisse & alias nationes in syluam Herculi sacram , ausuof que nocturnam castrorum oppugnationem. habita indici fides: & cernebantur ignes , fuggressique proprius <sup>b</sup> speculatores audiri fremitum equorum, immensisque , & inconditi agminis murmur attulere. Igitur propinquo<sup>c</sup> summa rei discriminé, explorandos militum animos ratus, quonam id modo <sup>d</sup> incorruptum fore , secum agitabat. Tribunos & centuriones leta sapientiis, quam comperta nuntiare, libertorum seruilia ingenia, amicis inesse adulacionem, si concio vocetur, illic quoque quæ pauci incipient, reliquos adstrepere: penitus noscendas mentes, cum secreti, & incustoditi inter militaris cibos spem aut metum proferrent. Nocte cepta, egressus Augurali, per occulta & vigilibus ignara , comite vno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias , adsistit tabernaculis , fruiturque fama sui: cum hic <sup>e</sup> nobilitatem ducis, decorum aliis , plurimi patientiam, comitatem per seria , per iocos eundem animum

## O B S E R V A T I O N E S

<sup>a</sup> Diligenter cauere debet is, qui exercitui præest, ne perfugorum indicia spernat, si modò sunt verisimilia.

<sup>b</sup> Speculatorum opera in exercitu nunquam non est neceſſaria.

<sup>c</sup> Summa rei discriben tunc instare dicitur, cum maximo conatu, totisque viribus utrinque certandum est: eo tempore, & loco, imperator militum animos explorare debet, an pugnam libenter, & alacri animo capeſſant, nam si forte torpent, prælio omnino abstinere præstat, quam incerte & fortasse irato Martiſe permittere.

<sup>d</sup> Si sciret imperator quantum in se vno, suaque diligentia est possum, nunquam profectio cuiquam de rerum summa apud se agenti , rerumque statum referenti ita fidem haberet, quin & ipse singula diligenter circumspicitare, ac nosse, omnibusque locis frequens adesse vellet. quippe, ita comparatum est, ut unusquisque rem pro suo ingenio, sapientius alter, atque est, narret. amici quidem adulantur ; seruorum cum sit seruile ingenium, haud dubium est, quin da gratiam loquantur ; tribunorum, & centurionum mos est, leta potius, quam vera reſerre ; multitudine non quod ipsa senit, sed eius, qui clamare coperit, sensum sequitur. Itaque cautus princeps, & imperator nunquam alienis oculis videbit, nec pedibus alienis ambulabit ; sed nulli, nisi ſibi credens, ex eo, quod viderit audiuerit, cognoverit, quid factò opus sit, consultabit.

<sup>e</sup> Si princeps subiectorum, aut imperator militum mentes planè nosſe studet, non debet eos vocare in concionem, quo mendacia, & simulationes quam sepiſſime veniunt, ſed ipſe varia ueste exornatus, ac in diſimulationem ſui compoſitus interefſe iis locis, in quibus homines ſolent nudare animos ſuos ; cuiusmodi ſunt conuictus, ubi quisque liberè quid animi habeat, tam per seria , quam per iocos palam facit. hac ratione ea cognosci maximè poſſunt, qua ad rerum ſummam pertinent.

<sup>f</sup> Haec ſunt laudes duci à militibus plerunque tribui ſolite ; nobilitas, decor, patientia, comitas.